

Tutorem. Excipitur servus, & filius non emanipatus, qui non sibi, sed patri, vel domino acquirunt, licet id non intendat. Dicitur Non prohibita possideri, per legem scilicet. Nemo enim habere potest jus possidendi contra Juris dispositionem: sic v. gr. locus publicus a privato, sacer a Laico, neque justè, neque verè possideret; quia Jure prohibetur, ne talium rerum detentio censetur possessio; ut jam dixi.

Petes, utrum detentio injusta, puta rei furtivæ, quam modo dixi esse possessionem facti, possit esse, aut dici alio modo sensu etiam possessio juris? R. esse hoc sensu, quod sic possidens possit eam defendere contra extraneos, seu non dominos: & quamvis dominus possit eam fugientem persequi, eique vi rapere rem furto ablatam, quandiu non est sic translata de loco in locum, ut sit extrà ejus custodiam; si tamèn sic sit translata, non potest amplius vi illam rapere absquè injuria possessori licet injusto irrogata; quia in tali casu amittit possessionem civilem. Puto tamèn, in foro interiori legit esse hanc injuriam si qua sit, de quo alibi.

Dico 3. Inter varias possessionis divisiones (alia enim est justa, alia injusta: alia proprio nomine, alia alterius nomine) præcipua est in civilem, naturalem, & civilissimam. Civilis est, quæ corporis adminiculo inchoata, solius animi adminiculo retinetur, & continuatur: sic civiliter possidet, qui abest a rebus suis, sed animo, & facultate eas retinet, & occupat ut suas; quandiu per alium a possessione non dejicitur. Dicitur civilis; quia magis constat Jure civili, quam naturali; cum modus naturalis possidendi sit per corporalem insistentiam; & etiam quia parit effectum civilem, scilicet præscriptionem. Naturalis est, quæ res corpore simul, & animo occupatur. Censetur autem quis corporaliter occupare, quando ita rei vicinus est, ut illi possit continuò adesse. Hæc naturalis possessio potest separari a civili: nam fur v. gr. rem meam possidet naturaliter, ego civiliter, donec per abstractionem ejus de loco in locum ponatur extrà meam custodiam; tunc enim a civili possessione dejicitur. Similiter, si quis me absente invadat agrum meum, possidet illum naturaliter, ego civiliter, donec rescians invasionem, aut negligo, aut frustra tento fundum recuperare: tunc enim amitto possessionem civilem; & invasor possidet naturaliter, & civiliter. Et licet naturalis possessio sit inferior civili, ad hoc tamèn valere potest, ne possessor deturbari possit ab extraneo, & interdum ne ab ipso quidem domino sine auctoritate publica, ut dixi supra. Civilissima est, quæ sola Legis dispositione acquiritur, etiam ab inscio, adeoque sine corporis, & animi adminiculo. Sic hæres parvulus defuncti hereditatem possidet, præsertim in Gallia, & Patria Leodiens-

si, ubi mortuus induit vivum: La mort saisit le vif. Ratio est, quia modus acquirendæ possessionis hæretico Juri subjacet, quod potest diversos modos statuere, prout magis videtur expedire Reipublice.

Dico 4. Tribus modis acquiritur possessio: Apprehensione vera, apprehensione facta, & Legis dispositione. Apprehensio vera est, quæ fit manibus, aut pedibus: & hæc est necessaria, quando acquirenda est possessio earum rerum, quæ nullius sunt, ut ferarum, thesaurorum, &c. aut quæ quis clam, seu vi vult possidere. Apprehensio facta est, quæ fit, vel oculis, ut cum antiquus possessor eritius vel cominus ostendit mihi acceptanti fundum: oculi enim dicuntur longæ manus, quibus res visæ quasi contractantur: vel cum tradit claves domus, in qua sunt merces possidendæ: vel quando tradit instrumentum, seu scripturam, qua constat de titulo, & jure quo rem possidebat: vel cum rei absentis mihi venditæ se constituit meo nomine quando post contractum ipso consentiente oppono meo nomine custodiam rei sive mobilis, sive immobilis, & aliis similibus modis a Jure, vel consuetudine introductis. Talis apprehensio facta habet locum, quando res ab aliquo possessore, vel auctoritate Judicis traditur. Legis dispositio etiam quandoque acquiritur possessio absquè ulla apprehensione sive verâ, sive facta. Et hæc est possessio civilissima: de qua supra.

Dico 5. Amittitur possessio naturalis, & civilis mobilium 1. Sola voluntate possessoris nolentis amplius rem possidere. 2. Per furtum, & rapinam alterius, si res ablata aliquandiu detineatur. 3. Per amissionem v. gr. burse, vel per fungam animalis, si non habeat consuetudinem redeundi: nunguam tamèn servi L. Pomponius 13. ff. de acquirend. poss. Rerum verò immobilium possessio amittitur 1. Per longam absentiam domini, nec per se, nec per alium rei insistentis. 2. Per negligentiam, aut timiditatem, aut impotentiam rem suam ab injusto invasore repetendi. 3. Per longam oblivionem quod res sit sua; tunc enim caret animo possidendi.

Petes utrum, amissa possessione, semper amittatur dominium? R. negativè: etenim rei amissæ, aut furto ablatæ, amitto possessionem, saltem naturalem, non tamèn dominium.

Dico 6. Præcipua privilegia possessionis sunt. 1. Quod pariat præscriptionem. 2. Quod in dubio sit melior conditio possidentis. 3. Quod non sit possessoris probare, quod res sit sua; sed oppugnantis probare, quod non sit. De possessione vide plura apud Legum Interpretes.

DISSERTATIO III.

DE SUBJECTO ET OBJECTO DOMINII.

ARTICULUS I.

De Subjecto Dominii in genere.

Dico (Hic q. 66. a. 1. o) Omni, & soli naturæ intellectuali, nempe Deo, Angelo, & homini competit dominium. Quia omni, & soli naturæ intellectuali competit fundamentum dominii, scilicet intellectus, & voluntas, per quæ habet potestatem disponendi de suis actibus, & per actus de rebus externis. Unde Genes. dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & bestiis terræ. Ubi tribuit homini dominium in bestias, & pisces, eò quod sit imago Dei: est autem imago Dei per intellectum, & voluntatem.

Deus habet dominium universale, absolutum, independentis, & ut dicit S. Th. principale in omnes res creatas ratione creationis, & continuæ conservationis earum, juxta illud Ps. 23. Domini est terra, & plenitudo ejus: & Sap. 12. Omnium Dominus es. Hoc dominium Deus neque abdicare, neque ulli creaturæ communicare, neque ullam creaturam ab illo eximere potest: quia ejus titulus, nempe creatio, & conservatio assidua cause supremæ, & independentis, neque potest communicari, neque quisquam ab ea eximi potest. Sicut tamèn non obstante quod sit causa universalis, communicat rebus creatis rationem particularem agendi; ita quamvis sit Dominus universalis omnium, communicat creaturis intellectualibus particulare dominium

suo universali dominio subordinatum. Et quo fit, quod, quamvis omnia donet, postquam etiam sunt donata, semper maneat Dei dominio subjecta: sicut quamvis communicet virtutem agendi causis creatis, remanet tamèn suprema causa; quod de particularibus dominis dici non potest. Ex quibus patet dominium Dei esse infinitè perfectius, & altioris ordinis, ac dominium creaturarum.

Angeli sive boni, sive mali, non habent propriè dominium nisi suarum operationum. Boni administrant quidem res corporales, sed non ut suas, neque in suum commodum, sed ut præfecti Regii, qui nomine Regis Provincias administrant: & hæc ratione quandoque vocantur Domini, sicut ipsos Præfectos Regios vocamus Dominos. Diabolus autem vocatur caput malorum, Princeps hujus mundi, Rector tenebrarum harum; non quod sit verè alicujus rei dominus, sed quia homines incitat ad malum, & eos sive peccato actuali, sive peccato originali obnoxios, detinet captivos ut tortor.

Soli ergo homini inter omnes creaturas competit propriè dominium, maxime in res sublunares, juxta illud Ps. 8. Omnia subjectasti sub pedibus ejus, oves & boves &c. Dixi: maxime in res sublunares; nam in corpora caelestia, licet in utilitatem hominis condita, propriè non habet dominium; quia circa ea nihil potest disponere aut mutare: potest tamèn dici Dominus commoditatum, quæ ex illis percipiunt. Unde non potest homo absquè injuria privari v. gr. lumine solis.

Ex

Ex dictis colliges 1. etiam amentes & pueros ante usum rationis esse capaces domini: quia, licet ad actualem usum domini requiratur usus rationis, non tamèn ad dominium habituale, quod immediatè fundatur in potentiis: alias dormiens vel ebrius amitteret dominium. Unde Apost. ad Galat. tribuit parvulo verum dominium hæreditatis relicte, his verbis: Quanto tempore hæres parvulus est nihil distet a servo, cum sit dominus omnium. Cujus aperta signa sunt, quod pueris & amentibus injuriam faceret, qui eorum bona usurparet: & quod Tutor, vel Curator eorum bona administraret, non ut sua, sed ut eorum bona.

Colliges 2. Etiam infideles & peccatores esse capaces domini; cum nec infidelitas, nec peccatum ipsos privet libero arbitrio, quod est fundamentum domini: nec aliunde probari possit, sive fidem sive gratiam requiri ad dominium. Unde Scriptura agnoscit pro veris Dominis Principes infideles, ut Pharaonem, Nabuchodonosorem, Balthasrem, Cyrum &c. item & Reges peccatores, ut Davidem, Salomonem, Achab, &c. 1. Petri c. 2. Subditæ estote in omni timore Domini, non tantum bonis & modestis, sed etiam discipulis. Quapropter jure damnata est in Concil. Constan. hæc Propositio 30. Joannis Hus, & 15. Wicleffii: Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælati, nullus est Episcopi, dum est in peccato mortali.

Nec obstat, quod Hæretici in Jure cap. Cum secundam de Hæretic. in 6. priventur dominio bonorum suorum; id enim fit, non quia Hæretici sunt incapaces domini, sed in poenam sui delicti; quod Ecclesia non facit erga alios peccatores, nec facere potest contra Infideles, qui ei non subduntur, sicut subduntur Hæretici ratione Baptismi. Adde, Hæreticos non privari ipso facto, licet Jura dicant, quod bona eorum sint ipso Jure confiscata, quia nulla poena positiva mandatur executioni, antequam reus facti convincatur.

Quantum ad servos, remanent domini bonorum, quæ prius habebant: vel enim sunt servi Jure Belli, & satis est ut amittant libertatem; vel se in servos vendiderunt, sed per venditionem libertatis non censentur vendidisse sua bona. Idem dic de servis, qui per sententiam addeuntur servituti, nisi forte per illam etiam bona auferantur.

Postquam verò semel facti sunt servi, sicut & ii, qui tales sunt à nativitate, ut qui nascuntur ex matre serva (hic enim valet adagium commune Partus sequitur ventrem) regularitèr, quicquid acquirunt, Domino acquirunt. Ita in Jure Instit. Per quas personas cuiq. acquir. §. Item nobis, & L. Id vestimentum 25. ff. de peculio, & cap. Cum olim 2. de Privilegiis.

Dixi: regularitèr; quia quidam Theologi docent, dominium etiam perfectum servis competere in certis casibus: nimirum, quando Dominus consentit; quando datur aliquid servo ea lege, ut non transeat ad Dominum; vel etiam sine conditione, sed solius servi intuitu, ut propriè singularum ejus industriam ac singulare obsequium. Item quando servus de pecunia sibi tradita lucratur, aut sibi subtrahit de eo, quod liberè potuisset consumere; aut quando præter opera præscripta facit aliquod opus lucrativum. In his, inquam, casibus quidam Theologi volunt servis competere perfectum dominium, ita ut Dominus non possit illa bona ab eis auferre absquè verâ injuria, & obligatione restituendi. Quoad Jura verò prius laudata, respondent, ea esse intelligenda regularitèr, vel contraria consuetudine esse mitigata.

Alii verò concedunt tantum servis in præfatis casibus aliquod dominium imperfectum, sic nempe ut hujusmodi res non teneantur Dominis suis tradere, quamvis Domini possint absquè injuria propriè dicta illos privare peccatur tantum contra humanitatem, & fidem tacitè datam. De quo vide, si lubet, latius Auctores. Cum enim servitus inter Christianos exulaverit, non vacat his immorari. De dominio Filiorumfamilias, Uxorum, & Religiosorum sunt speciales difficultates, quas modo per distinctos articulos discutimus.

ARTICULUS II.

De objecto Dominii humani in genere.

Dico 1. Omnes res sublunares cadere possunt sub dominio hominis, quatenus potest eas sibi comparare, & de comparatis pro nutu disponere; earum verò de facto est Dominus, quas legitimo titulo possidet. Confer. quæ dixi articulo præced.

Theol. Billuati. Secunda Secundæ.

Est etiam absolutè Dominus operationum (1. 2. q. 17. a. 3. 6. & seqq.) quæ libere exercentur per intellectum & voluntatem; per sensus exteriores, & per potentiam loco motivam: quia ejusmodi subduntur libero ejus arbitrio. Non ita perfectè est Dominus actionum, quæ naturalitèr exercentur per sensus interiores & appetitum sensitivum; quia hæc quandotè pendunt ex dispositione organi corporalis, quod non est in potestate hominis. Actionum verò facultatis vegetativæ nullo modo est Dominus, quia nullatenus subduntur imperio rationis. Item potest dici Dominus actuum supernaturalium, seu qui exercentur per gratiam sive actualem, sive habituales, quia hi actus eam tenent libero ejus arbitrio, quatenus ab eo liberè procedunt. Ipsius verò gratiæ habituales & aliorum habituum infusorum in tantum potest dici Dominus, in quantum potest eis uti vel non uti, eos retinere vel amittere. Quantum ad acquisitionem tamèn, cum gratis à Deo conferantur, non subduntur, absolutè ejus dominio, sed dimittunt tantum & aliquid in quantum ex auxilio gratiæ actualis potest aliqualem ad eos dispositionem tenere.

Dico 2. Homo non est absolutè & directè Dominus vite suæ & membrorum, sed custos tantum & usufructus: solus verò Deus est Dominus. (Hic q. 64. a. 5. ad 3.) Ita passim Doct. prob. 1. Ex Scrip. Deut. 32. dicit Deus: Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego vivere faciam: & Sap. 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem; id est, solus. Prob. ratione 1. Vita & corpus præsupponuntur ad dominium tamquam ejus fundamenta: ergo non subjacent dominio. Si dicas, libertatem etiam esse fundamentum domini, & tamèn hominem esse ejus Dominum, siquidem possit illam vendere per servitutem R. per servitutem non vendi ipsam libertatem, seu potentiam liberi arbitrii, quæ est fundamentum Domini, sed tantum usum; sicut etiam potest homo vendere usum sui corporis. 2. Præcepto Non occides, prohibetur occisio non solum alterius, sed etiam sui ipsius & mutilatio: ergo homo non potest pro libitu disponere de vita, aut membris, consequenter non habet in ea dominium. 3. Dominium non est nisi in eas res, quas nostra industria possumus acquirere; has enim sicut possumus acquirere, ita et relinquere; atqui vitam, aut membra non possumus propria industria acquirere, ergo. 4. Dominium non est nisi in res distinctas; atqui vita et membra non sunt quid distinctum a nobis: ergo.

Dico 3. Nec Principes, nec Respublica habent dominium directum in vitam et membra Civium, quasi pro libitu Cives possint occidere, aut mutilare; sed indirectum tantum, in quantum quorundam vita est bono publico noxia. Patet tùm ex præcepto laudato, Non occides: tùm quia quisque privatus se habet ad Rempublicam, sicut membrum ad corpus: nemo autem est dominus membrorum suorum, ut dictum est: ergo.

Dico 4. Homo est dominus propriæ famæ & honoris. (Hic q. 73. a. 4. ad 1.) Est communis contra Cajet. q. 73. a. 2. Istud dominium tamèn est aliquando ligatum.

Prob. 1. Pars. Homo proprio labore acquirit famam, aut saltem jus ad illam, semel acquisitam per facultatem arbitrii regit, conservat, aut amittit citrà cujusque injuriam, ut fecit Aug. lapsus snos manifestando: ergo est ejus dominus. Patet conseq. Quia hi omnes actus sunt præcipui actus domini. Conf. Si homo non esset dominus suæ famæ, non potest ejus restitutionem condonare, seu remittere; nemo enim potest remittere, quod suum non est atqui tamèn id sæpe fit, et laudabiliter fit: ergo.

Nec obstat, quod homo possit condonare mutilationem membri, cujus tamèn non est dominus. Nam, si membrum posset restitui sicut fama, non posset ejus restitutionem condonare: quod ergo condonat, non est restituito membri, sed satisfactio pro injuria illata, et restituito pecuniaria pro damno secuto.

Dices insuper cum Cajetano. Fama cujusque civis est bonum Reipublicæ: ergo non civis, sed Respublica est ejus domina. R. Ant. Fama cujusque civis est bonum Reip. ipsi debitum ex justitia legalì, quomodo divitiæ particularium debentur, C. ipsi debitum ex justitia commutativa, N. sic est bonum cuique particulari debitum.

Petes, an non sit saltem peccatum diffamare se, seu negligere famam suam absquè causa rationali? R. Esse peccatum, non injustitiæ, sed prodigalitatìs: sicut qui sine causa dissiparet divitiæ suas, quarum tamèn est dominus. Et idè Eccles. 41. præcipitur nobis habere curam de bono nomine.

Prob. 2. pars. Fama nostra est aliquando necessaria pro-

Ec 2

proximo: ergo tunc non possumus de ea disporre ad libitum, eam vel negligendo, vel prodigendo.

Sed petes, an qui in hoc casu famam negligit, vel prodigit, peccet contra justitiam? R. Famam nostram posse tripliciter esse proximo necessariam. 1. Sic ut ex fama nostra pendeat fama proximi, & ex infamia nostra sequatur ejus infamia; ut ex infamia Monachi sequitur infamia Communitatis; ex infamia Patris sequitur infamia Familiae. 2. Sic ut fama nostra sit necessaria proximo ad præstandum ipsi officium, quod stricto jure ei debetur, sicut fama Prælati est necessaria, ut bene regat subditos. 3. Sic ut fama nostra sit necessaria proximo, ut ei præstetur officium ex charitate tantum ei debitum. Qui in hoc ultimo casu famam negligit, aut prodigit, peccat tantum contra charitatem, sicut qui punctionam, quæ pauperibus prodesse poterat, abjecerit. Qui vero in duobus prioribus casibus famam negligit, aut prodigit, probabiliter peccat contra justitiam, non præcisè quia seipsum infamat, sed quia proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad impendendum ei officium strictè debitum: sicut peccaret contra justitiam, qui domum propriam destrueret sine causa, ex quo sequeretur destructio domus vicini.

Dico 4. Homo potest cadere sub dominium proprietatis alterius hominis. Prob. Servitus nullo Jure prohibetur. Non naturali, quia, ut diximus, homo habet dominium utile sui corporis: ergo potest illud in alium transferre. Non Divino, ut patet ex vet. Test. Levit. 25. & Exod. 21. & ex novo 1. Corin. 2. & 1. Tim. 1. Non humano, ut patet ex variis utriusque Juris locis, ubi multa disseruntur de servis. Fuit autem introducta servitus Jure Gentium: sed nunc Jure novo disponente nulla amplius admittitur servitus inter Christianos. Excipe Regiones Americanas, in quibus Europei habent adhuc Africanos servos.

Petes 1. Quotuplici titulo fit aliquis alterius servus? R. Quadruplici. 1. Titulo natiuitatis, ut dum quis nascitur ex Matre serva, licet Patre libero. 2. Jure belli. 3. Justa condemnatione. 4. Emptione.

Petes 2. An sit licitum servis fugere ad recuperandam libertatem? R. 1. Servis, qui sunt tales emptione, aut quia ex matre aliter, quam bello, serva nati sunt in servitute, non licet fugere; tales enim numerantur in rebus domini sui, sicut ceteræ ejus possessiones. 2. Servis, qui tales sunt per justam sententiam, etiam non licet fugere; quia tenentur parere justæ sententiæ. 3. Servis, qui periculosè sollicitantur ad peccatum, aut quos dominus vult occidere, aut quibus necessaria ad vitam denegatur, licitum est fugere; jus enim, quod illi habent a natura ad vitam suam sive corporalem, sive spirituales prævalet juri domini sui. Hæc satis constant inter Auctores; sed major difficultas est de servis captis in bello justo: utrum liceat ipsis fugere jure postliminii? Jus postliminium est jus recuperandæ rei suæ ab extraneo & in statum pristinum restituendæ. Dico: In bello justo; quia indubitatum est, eos, qui injustè capti sunt, debere remitti, & a fortiori posse fugere: Igitur 4. Servis jure belli etiam justè licitum est fugere ad suos; non tamén dominis, sive detinentibus, sive persequentibus, vim inferre. Ita Soto, Covarr. Bannes, Sylvius, Lessius, & alii, contra Sylvestr. Navarr. Molin. & alios.

Prob. 1. Pars 1. ex Jure l. 2. Instit. tit. De rerum divisione §. Item ea: ubi dicitur: Ea, quæ ex hostibus capiuntur, Jure Gentium statim nostra fiunt, adeo quidem ut & liberi homines in servitutem nostram deducantur; qui tamen, si coarserint nostram potestatem, & ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiant; atqui, si eis non liceat fugere, libertas, quæ in termino fugæ conceditur, foret inutilis, cum non possint eam consequi nisi per peccatum: quod autem absquæ peccato haberi non potest, censetur apud fideles moraliter haberi non posse: ergo.

Prob. 2. Servitus Jure Gentium inducta est; atqui eodem Jure cautum est, ut capti in bello etiam justè licitè possint ad suos fugere: ergo. Minor patet, tum ex communi & constanti usu bella gerentium, qui servorum fugitivorum nunquam pretium aut petunt, aut mittunt; tum ex communi hominum sensu, quibus persuasum est hujusmodi servos licitè fugere, dum possunt. Dixi: fugere ad suos; quia ea tantum fuga eis jure & consuetudine permittitur, qua libertatem recuperare possunt: libertatem autem non recuperant, nisi cum ad suos pervenerint, ut patet ex Jure citato. Censetur autem rediisse ad suos, cum ad regnum suum pervenerint.

Prob. 2. pars. Domini habent jus hujusmodi servos

detinendi & intercipiendi, quandiu reditu ad suos libertatem non recuperaverint, alioquin inutilis esset servitus: ergo servi non possunt contra illos vi se tueri: non enim potest esse bellum ex utraque parte justum.

Argumenta, si lubet, require in Sylvio hic q. 66. a. 2. Quæstio 8. & in Lessio hic c. 5. dub. 5. & plura alia servitutem spectantia.

ARTICULUS III.

De Dominio Uxorum.

NOta: Triplicis generis distinguuntur bona uxoris, nempe Paraphernalia, Dotalia, & communia. Paraphernalia, sic dicta græcè a παρα, juxta; & περι, dos, quasi juxta dotem, sunt ea, quæ uxor, ultra dotem marito traditam, habet, vel acquirit sive donatione, testamento, legato, &c. sive propria industria & labore ultra debitam familiæ gubernationem, sive subtrahendo de sibi concessis a marito in victum, vestitum, recreationes, donationes, &c. Ut tamén hæc omnia reputentur paraphernalia, uxor debet ea sibi vel explicitè, vel implicitè reservasse, alioquin omnia censentur dotalia, cum mulier nubens censetur se & omnia sua marito tradere. Quapropter, si in contractu matrimoniali marito donec omnia bona presentia & futura, presentia & a venire, nulla sunt, aut erunt ipsi paraphernalia. Si autem dotem tantum exprimat, cetera implicitè sibi reservat, quæ idèd erunt ipsi paraphernalia, secundum Jus commune. Dotalia sunt, quæ uxor tradit marito in sublevamen onerum matrimonii. Communia, quæ utriusque conjugis labore tempore matrimonii acquiruntur.

Dico 1. Uxor habet dominium plenum, directum scilicet & utile, & administrationem bonorum paraphernalium. Prob. ex Jure L. Hac lege 8. c. de pactis convent. l. 5. tit. 14. Hac lege decernimus, ut vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Græci παραπρηθικά dicunt, nullam usore prohibente habeat communionem, nec aliquam ei necessitatem imponat. Quamvis enim bonum erat mulierem, quæ seipsam marito committit, res etiam ejusdem pari arbitrio gubernari; attamen, quoniam concubines Legum æquitas convenit esse favoras, nullo modo, ut dictum est, muliere prohibente vitium in paraphernalis se volumus immiscere. Ratio etiam id suadet: quia uxor quoad hujusmodi bona sibi propria, non se habet ut uxor, sed ut homo condistinctus a marito.

Dico 2. Bonorum dotalium uxor habet dominium directum; maritus autem utile & administrationem. Prob. ex Jure L. dotis 7. ff. de Jure dotium lib. 23. tit. 3. ubi dicitur: Dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit. Cum enim ipse opera matrimonii subeat, æquum est, eum etiam fructus percipere. Quæ Lege statuitur secunda pars conclusionis, & prima aperte insinuat. Si enim marito fructus dotis dumtaxat conceditur, consequens est, quod dominium directum penes uxorem remaneat. Patet etiam ex hoc, quod mortuo marito dos absquæ omni contractu obveniat uxori, licet non sit hæres necessaria, saltè ubi sunt liberi: ergo signum est, eam antè in illam dotem habere dominium.

Dico 3. Medietatis bonorum communium uxor habet dominium directum: quia, ut dicebamus modò de dote, marito defuncto hæc medietas obvenit uxori. Dominium autem utile & administratio competunt marito; quia, cum sit caput & moderator familiæ, ad ipsum pertinet bonorum, non solum dotalium, sed & communium fructus & administratio.

Hæc omnia de Jure communi, ut jam notavi, sunt enim variae locorum consuetudines, quæ aliter disponunt. Sic juxta Articulum 1. Consuetudines Leodiensis nulla sunt bona paraphernalia liberæ uxoris dispositioni relicta, nisi pactum, aut conventio in contrarium interveniat, sed omnia presentia & futura mariti dominio subsunt. Ex dictis juxta Jus commune colliges, uxorem posse dispendere de bonis paraphernalibus ad quoslibet usus lege permittitur: secus verò de bonis dotalibus & communibus, nisi de consensu saltè tacito mariti, exceptis certis casibus. De quo plura, dum de eleemosyna, aut furto.

ARTICULUS IV.

De Dominio Filiorumfamilias.

NOta: bona filiorumfamilias sub patria potestate detinentur, quæ dicuntur peculium, esse quadruplicis

generis; Castrensia, Quasi-Castrensia, Adventitia, & Profectitia. Castrensia sunt, quæ in militia justa, seu occasione militiæ acquiruntur, v. gr. Stipendia militum, prædæ ex hostibus, donativa Ducum, vel Comitum, testamenta, vel legata occasione militiæ, mobilia a parentibus, vel aliis data proficiscenti ad militiam. Item, quæ filiusfamilias acquirit in aula & obsequio Principis, & quæ ipsi obveniunt ex illis bonis per contractum legitimum, ut si illis negotietur, laudat, aut fundum emat. L. Ex castrensi 18. ff. de Castrensi peculio.

Quasi-Castrensia sic dicta, quia, licet non sint Castrensia, Castrensium tamén privilegio gaudent. Sunt quæ acquiruntur: 1. In militia Sacra, scilicet Clericatu, sive ex Beneficio Ecclesiastico, sive aliunde acquiruntur; ita ut quidquid post Clericatum advenit, quod aliis foret adventitium, quasi Castrensie censetur. Authen. Presbyteros c. de Episcopis & Clericis. Bona tamén antè Clericatum possessa remanent ejusdem conditionis ac antè. 2. Quæ acquiruntur ratione alicujus officii publici non mechanicum, puta, Judicis, Advocati, Notarii, aut professione alicujus artis liberalis, ut Theologiæ, Juris, Medicinæ, cui officio, seu professione debitum sit publicum stipendium, & ea, quæ ad debitum eorum exercitium conceduntur, ut libri, vestes convenientes, &c. L. 7. Cum multò cap. de bonis, quæ liberis. Dixi: cui debitum sit publicum stipendium. Id negat Layman: sed expressè habetur Lege cum antiquis cap. De insufficiente testam. Lib. 3. tit. 28. de quo vide Sylvestr. v. Peculium 2. num. 1. ubi dicit, ad peculium quasi Castrensie requiri publicam causam & publicum salarium, vel saltè quod debeatur publicum salarium. Admittit tamén num. 1. Advocatos acquirentes aliquid non ex publico, sed a Clientulis, habere illud quasi Castrensie; quia cedit eis loco publici salarii, ex quo hodie eis non solvitur ex publico. Tertio habetur quasi Castrensie, quod filius habet ex dono Principis, aut quod ipsi datur expressè, ut sit quasi Castrensie; quod tamén fieri non potest nisi a Superiore ipsi & Patri.

Adventitia sunt, quæ non proveniunt a Patre, neque ex ejus bonis formalitèr, neque ejus causa, aut intuitu principalitèr dantur filio, seu filie, sed huic obveniunt successione, vel donatione alio intuitu principali, quam Patris facta, vel industria propria, vel fortuna; ut si inveniat thesaurum, si lucratur ex pecunia propria, vel mutuo accepta, vel etiam futuro a Patre ablata (quia tunc non est formalitèr Patris, nec ejus nomine agit.) Item bona, quæ proveniunt ex matre mortua, aut ex aliis propinquis in linea materna. Hæc bona dicuntur adventitia respectu Patris, quia ab eo non proveniunt.

Profectitia tandem sunt, quæ filius acquirit ex bonis Patris, v. gr. ex eis negotiando, seu ea administrando, vel quæ sunt ipsi data, legata intuitu Patris principalitèr.

Dico: Filiusfamilias sub patria potestate habet dominium plenum bonorum Castrensium & quasi Castrensium. Adventitiorum habet tantum dominium directum, seu proprietatem; Pater dominium utile, seu usufructum. Profectitiorum tandem nec directum, nec utile dominium habet filius, sed totum est Patris. Prima pars statuitur in Jure, ff. & c. De Castrensi peculio. Secunda & 3. pars l. 2. Instit. tit. Per quas personas 9. ubi Justinianus, corrigens antiquum Jus, quod inter adventitium & profectitium non distinguebat, sed utrumque Patri adiebat, statuit & dicit: Sanctum a nobis est, ut, si quid ex re Patris ei, scilicet filio, obveniat, hoc secundum antiquam observationem totum parenti acquiratur. Quæ enim invidiosa est; quod ex Patris occasione profectum est, hoc ad eum revertitur: Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias acquisit, hujus usufructum Patri quidem acquirit, dominium autem apud eum remaneat, ne, quod ei suis laboribus, vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei procedat.

Hinc sequitur 1. filium de bonis Castrensibus & quasi Castrensibus posse ad omnem usum lege permissum dispendere; etiam testando, modò sit pubes 14. annorum: Patrem verò non posse, & teneri ad restitutionem, si aliquid ex ipsis detrahat præter vestimenta & alimenta ipsi filio necessaria: non enim tenetur Pater ex propriis hæc procurare filio habenti propria, id est, Castrensia, vel quasi Castrensia, vel adventitia.

Sequitur 2. e contra, filium de bonis adventitiis, quandiu vivit Pater, non posse pro nutu dispendere, mortuo tamén Patre, ea non debere computari in partem ejus hereditatis. Patrem verò posse dispendere de fructibus, non tamén de substantia; alioquin tenebatur restituere

per se, vel per hæreses.

Assignantur tamén quidam casus, in quibus usufructus adventitiorum etiam ad filium devolvitur. 1. In datis sub conditione, quod filius, & non Pater habeat usufructum. 2. Quando Pater ipse concedit filio usufructum. 3. Si filius cum Patre constituatur hæres; tunc enim filius suæ partis habet usufructum. 4. Si filio non nisi usufructus relictus sit.

Sed specialis est difficultas de lucris, quæ facit filiusfamilias in domo paterna: cujus sint generis, an adventitia, an profectitia? R. 1. Lucra, quæ facit filiusfamilias in domo paterna ex propria industria, ut jam dixi, sunt adventitia. Item, quæ, præstitis familiæ ordinariis & debitis operibus, ex labore indebito & extraordinario acquirunt, hæc, inquam, lucra sunt adventitia. Item ejusdem generis censentur lucra ex operibus artificialibus provenientia; ut si filius sit faber, sartor, musicus, &c. ita censet Layman. L. 3. t. 4. c. 8. n. 11. addens, esse communem Doctorum sententiam, pro qua citat Rebel. Navarr. Gabr. Sanchez, Dias. Huic etiam sententiæ subscribitur ex recentioribus Cabassutus L. 6. Theor. & prax. c. 4. num. 6. Pontas v. Compensatio cas. 5. & alii, idque probant argumento deducto ex leg. penult. ff. de obseq. Parent. præb. quæ sic habet: Pietatem liberi parentibus, non operas, debent. Adde, hæc lucra non esse ex rebus Patris: ita ut filius mortuo Patri possit ea recuperare deductis expensis ad suum victum & amictum necessariis; quia, ut jam dixi, Pater non tenetur alere filium habentem propria. Intellige tamén, modò iste filius artifex intenderit expressè, vel tacitè hæc sibi acquirere; alias censebitur titulo pietatis Patri laborasse.

R. 2. Lucra, quæ facit filiusfamilias ex rebus paternis nomine & voluntate Patris agens, licet cum aliqua propria industria, ut filius mercatoris, camporis, &c. de quibus est major difficultas, valde probabiliter profectitia censeo cum Sylvestr. v. Peculium 1. n. 12. Layman. cit. & alii, quos refert: quia Jura laudata indistinctè ajunt, quæ ex re Patris acquiruntur, acquiri Patri: neque consuetudo fert, ut filius exinde salarium, aut partem lucri patet a Patre; quandiu enim est in domo paterna videtur ex gratitudine & pietate debita Patri ad similes, obsequiales operas obligatus. Vide Sylvestr. cit. Contrarium tamén non improbabilitèr tenent Less. Navarr. Angelus, Lopez, & ex Recent. Chassut. Pontas prius cit. & Perceptor Tournellie hic p. 2. de Jure c. 3. a. 2. Primò, quia hujusmodi lucrum, cum non tantum ex bonis paternis, sed etiam ex filii industria proveniat, idèd partim inter profectitia, partim inter adventitia numerandum est: 2. quia filius non est deterioris conditionis, quam extraneus, cui indubie daretur stipendium. Nec Jure nature tenetur laborare pro Patre non indigente. Ex quo inferunt, si Pater nullam lucri partem filio quasi jure societatis reliquat, tantumdem salarii illi dare teneri, quantum alicui extraneo deberet, saltè si filius exigit. Si autem ob metum reverentiam petere non audeat, vel sciat se, si petat, repulsam passurum, consequenter ajunt se etiam a Patre accipere posse, deductis prius expensis pro victu a Patre factis.

Petes: Quot modis Filiusfamilias patria potestate liberetur, sicque juris effectus bonorum adventitiorum usufructum acquirat? R. pluribus. 1. Per mortem naturalem Patris. 2. Per mortem ejus civilem, puta, per exilium ob maleficium. Instit. Quibus modis Jus patriæ, &c. §. cum animis. 3. Per lapsum Patris in hæresim. 4. Per electionem filii ad patriam dignitatem. Ibid. §. Filiusfamilias vel Episcopatum, aut Cardinalatum. Authen. Sed hodie cap. De Episcopis & Clericis. 5. Per emancipationem filii factam coram Judice: sed in hoc casu propter beneficium emancipationis relinquuntur Patri medietas fructuum. L. Cum oportet §. cum autem c. De bonis, quæ liberis. Et L. Si viva. c. de bonis matr. & Glossa ibid. Layman L. 3. t. 4. c. 8. n. 14. dicit, quod in quibusdam locis cum primùm liberi conjugio sunt locati, censentur emancipati & sui juris. Id alii simpliciter asserunt, videturque consentaneum & usu receptum, & hoc constantè verum est, saltè in Provinciis consuetudinariis.

ARTICULUS V.

De Dominio Clericorum.

NOta 1. Triplicis esse generis bona Clericorum, Patrimonialia, scilicet, quasi Patrimonialia, & Ecclesiastica. Patrimonialia sunt, quæ ipsis obveniunt indepen-

dentur ab omni tam ministerio, quam Beneficio Ecclesiastico, suatque ipsis & Laicis communia. Quasi-Patrimonialia sunt, quae Clericis obveniunt, non ratione Beneficii Ecclesiastici, seu ex bonis ipsi Ecclesiae oblati & appropriati, sed ratione Ministerii personalis Ecclesiastici, quasi ejus merces & stipendium, sive, quod idem est, quae a Fidelibus offeruntur non ipsi Ecclesiae approprianda, sed particularibus ejus Ministris in operis stipendium, v. gr. ob celebrationem Missae, Funeralia Obsequia, Concionem, Cantum, &c. Ecclesiastica sunt, quae secundum originem suam ad ipsam Ecclesiam spectant, ipsique Ecclesiae a Fidelibus primitus oblata & incorporata sunt, ex quorum tamen intentione Ecclesia proventus illorum bonorum deputavit Clericis in eorum congruam sustentationem propter obsequium spirituale ab eis prestandum, maxime officium Canonicum; seu brevius, ea sunt, quae recipiuntur a Clericis ratione & titulo Beneficii, puta Canoniciatus, Decanatus, &c.

Disputant Auctores, ad quae bona revocanda sunt distributiones, quas vocant inter presentes. Sporer cum aliis revocat ad quasi-Patrimonialia; quia, inquit, dantur propter Ministerium personale, quo Clerici personaliter Ecclesiae deserviunt. Verius tamen puto cum Navarro, quod, si dentur ex ipsis bonis Ecclesiae, ut fit ordinarie, revocanda sint ad Ecclesiasticam, ut erant ante hanc distributionem. Nec enim urget ratio Sporer; quia ipsa Ecclesiastica bona sunt etiam propter pensum personale, puta officium, & tamen remanent Ecclesiastica. Unde dixi, bona quasi-Patrimonialia censenda esse, quae non ex bonis Ecclesiae appropriatis, & titulo Beneficii debitis, sed independenter ab illo & praecise ratione Ministerii personalis ipsis Ministris ut stipendium conferuntur.

Nota 2. Primis Ecclesiae temporibus bona Clericorum fuisse communia, sicut nunc sunt in Monasteriis, dispensatione penes Episcopum relicta; sic ut aliqui Clerici in communi mensa cum Episcopo viverent, aliqui seorsim quidem, sed quibus secundum merita distribuatur certa pecuniae summa, quantum exigebat honesta cujusque sustentatio, superfluo, sive ex communi mensa, sive ex particulari, pauperibus relicto. At vero, crescente in dies Fidelium & Clericorum multitudine, cumque ex quorundam cupiditate redderetur difficillior communis vivendi modus, Summi Pontifices jusserunt, haec bona in 4. portiones dividi. (Q. 185. a. 7. o.) Prima assignata Episcopo, secunda Clero, tertia Fabricae, quarta pauperibus. Ita legitur Gaus. 12. q. 2. c. Concesso, cap. Quatuor, cap. de Redditibus, cap. Cognovimus, &c. Haec divisio primitum inchoata sub B. Sylvestro circa ann. 324. ut patet ex c. 4. Concil. Rom. per eum celebrati, non ubique statim invaluit, sed paulatim profecit. Quidam volunt, eam ubique fuisse receptam 7. vel 8. Saeculo. Sed S. Th. supponit, nondum suis temporibus ubique invaluisse; dicit enim loco cit. in Summa: *Si ergo distincta sint bona, &c. & iterum: Si vero non sint praedicta bona distincta.* Ceterum nunc & a pluribus saeculis videmus, ubique esse receptam erectis Beneficiis, & certis proventus singulis titulis assignatis.

Porro progressu temporis accidit, quod haec quarta pars pauperum in pluribus Ecclesiis non reperitur seorsim ab aliis. Unde quidam existimant, eam esse permixtam cum portione, vel Episcopi, vel Cleri, vel Fabricae, vel cum omnibus simul. Verum, etsi res ita esse possit quoad Ecclesias ante praefatam partitionem erectas, id tamen non est necessarium concedendum. Etenim potuit ista pars injuria temporum, aut hostium direptione, aliave calamitate perisse: vel forte non fuit constituta in fundis, sed in pecuniis, quae distributa tandem finem acceperunt; cum e contra ex aliis portionibus empta sint immobilia bona, seu fundi. Vel tandem neque a fundatoribus, neque ab Ecclesiae Praelatis ulla forte fuit portio assignata pauperibus; quod saltem plerumque verum est quoad Ecclesias post tempora factae divisionis erectas: & cum paucae ex antiquioribus nunc subsistant, saltem in eo statu in quo tunc erant tempore factae partitionis; non est mirum, si raro inveniantur illa quarta pars pauperum.

Nota 3. Beneficiorum fructus posse spectari, vel quatenus sunt necessarij ad honestam sustentationem, vel quatenus sunt superflui huic honestae sustentationi, quae non consistit in indivisibili, ut dicemus infra.

Suppono 2. (2. 2. q. 185. a. 6. & 7. o.) ut certum, Clericos habere dominium bonorum Patrimonialium, sic ut de ipsis pro libitu valide disponere possint: quia in sua ordinatione non abdicaverunt tale dominium, neque ordinatio, aut Officium Clericale ad id eos obligat: unde quantum ad hoc pariter sunt conditionis ante & post susceptum

Clericatum. Possunt tamen (2. *Ibid.* a. 7. o.) in istorum bonorum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam contingit, quod vel sibi plura conferant, quam oporteat, vel aliis etiam non subvenient, secundum quod requirit debitum charitatis: non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatae, ut diximus.

Suppono 2. ante divisionem factam nullum, sive Episcopum, sive Clericum in particulari habuisse dominium bonorum Ecclesiasticorum, sed fuisse toti certum communia, ut diximus in secundo Not. Quia erant donata & appropriata Ecclesiae, ut ipsa, seu ejus Praelati dispensarent Clericis; & de bonis Ecclesiasticis secundum hunc statum loquitur S. Th. dum dicit a. 7. cit. *Quod Episcopi bonorum Ecclesiasticorum sint dispensatores, vel procuratores.* Addit Sylvius *ibid.* conclusionem 2. quod, postquam de communi massa cujuslibet portio fuisset assignata singulis, hi, si quid supererat congrue sustentationi, non erant domini hujus superflui, sed debebant ex justitia refundere in communem massam, nisi aliunde esset expensum in usus pios; quia, inquit, haec erat mens Ecclesiae, seu superioris dispensantis. Haec, inquam, addit laud. Auctor, sed non probat. Potest tamen elici ex communi vita, quam tunc agebant Clerici, qualem nunc agunt Religiosi in Monasteriis.

His notatis & suppositis, Quaestio est de bonis quasi-Patrimonialibus, & merè Ecclesiasticis. Circa bona quasi-Patrimonialia, proit ea supra exposuimus, quidam censent ejusdem esse conditionis, ac merè Ecclesiastica. Ita inter alios Steyartius Tim. 2. Aphor. Controv. 1. q. 2. cum P. Aurelio Pietre. Alii vero communis censent eandem esse rationem de illis, ac de Patrimonialibus. Unde cum istis

Dico 1. Bonorum quasi-Patrimonialium Clerici habent absolutum dominium, non secus, ac Patrimonialium; sic ut de illis pro libitu possint disponere absque ulla obligatione restituendi. Ita Navarr. de redd. Ecclesiast. §. 19. Covarr. Sylvius hic q. 185. a. 7. concl. 2. Less. 1. 2. c. 4. dub. 6. concl. 2. Cabass. 1. 6. c. 14. & alii communiter.

Ratio est; quia haec bona dantur Clericis ut stipendium quoddam sustentationis, non merè gratuitum, sed eis debitum ratione operis personalis, idcirco relictum liberæ eorum dispensationi. Neque enim fideles conferentes inferunt aliquod onus ipsis imponere, sed suæ obligationi satisficere; neque ullo Canone Juris evinci potest aliquid onus ab Ecclesia imponi talibus bonis; quinimò contrarium innuitur can. *Episcopi* caus. 1. 2. q. 1. ubi declaratur, Episcopum posse suis heredibus relinquere res proprias, vel acquiritas: Bona vero quasi Patrimonialia sunt verè acquisita. Hoc etiam verum putamus, etsi stipendium longè superet laborem, si seorsim a re spirituali consideretur; quia liberè datur & absque ullo onere, ut dicitur est. Conf. Clerici non sunt deterioris conditionis quam Officiales laici, v. gr. Judex, Consiliarius, Advocatus, &c. atqui hi, licet aliunde stipendio sint conducti fuerint tamen absolutè domini eorum, quae dantur actu propter officia hic & nunc praestita: ergo & Clerici. Et sanè communi sensui & usui prorsus repugnare videtur, Cantorem, v. g. Concionatorem, Theologum, &c. non fieri absolutè dominos stipendiorum, quae recipiunt ratione suorum operum, sic ut ea restituere teneantur, si in pios usus non impendant. Nihilominus

Dices 1. cum Steyartio. Par ratio est horum bonorum & eorum, quae ex Beneficio proveniunt; atqui constat, Clericos non posse saltem licite disponere pro libitu de bonis Beneficii, sicut possunt de bonis Patrimonialibus: ergo. Prob. maj. 1. Utraque perinde sunt res Ecclesiasticae, vora fidelium, Deo & Ecclesiae consecrata. 2. Non potest allegari textus ullus, vel auctoritas, quae inter ista distinguat. ergo. Resp. N. maj. ad primam probationem. N. Ant. Patet ex 1. notamine. Equis enim dicat, stipendium, collatum Cantori, Concionatori, Theologo, &c. esse rem Ecclesiasticam, Deo & Ecclesiae consecratam, & non potius rem operi debitam, & labore, seu industria acquisitam? Est autem eadem ratio de aliis. Ad 2. prob. N. patet Ant. Hoc ipso enim, quo Canones loquuntur de bonis dumtaxat Ecclesiasticis, distinguunt inter haec quasi-Patrimonialia, quae non sunt Ecclesiastica.

Dices 2. cum eodem. Si de his bonis foret libera Clericis dispositio, jam olim Apostoli & viri Apostolici primis saeculis, cum nulla adhuc essent, quae hodie vocamus Beneficia, pro libitu disponere potuissent de oblati, sive a populo, cui praedicabant, aliisque spiritualia administrabant. Idemque hodie foret de Missionariis in partibus Infidelium, ubi adhuc solis fidelium elemosynis vivunt; atqui tamen nemo id dicit, aut dixit (quod sciam) unquam: ergo. R. Primis Ecclesiae temporibus non fuis-

se statuta stipendia pro certis ministeriis spiritualibus, sicut sunt nunc, sed fideles ex motivo perfectionis Evangelicae ultra offerebant Apostolis & viris Apostolicis bona sua, seu potius bonorum suorum pretia, quae fiebant omnibus communia, non cuiquam particulari propria. Unde est disparitas a praesenti Clericorum statu.

Quoad Missionarios in partibus Infidelium dico, eos reverè posse pro libitu disponere de oblati sibi a populo praecise in stipendium officiorum personalium, v. gr. celebrationis Missarum, Cantus, Obsequiorum Funerarium, Concionum, &c. & hoc absque absurdo dicere debent & possunt, quotquot conclusionem nostram docent: hi autem sunt ferè omnes Theologi. Secus tamen de oblati expressè alio titulo, puta, in fabricam, seu ornatum Ecclesiae, in sublevationem pauperum, &c. Ex hac conclusione & 1. suppositione colliges cum Sylvio, & pluribus aliis valde probabile esse, quod, cum Clerici vivere possint ex proventus Ecclesiasticis, ut dicam infra, de Patrimonialibus verò & quasi Patrimonialibus pro libitu disponere; si ex his vivant, aut ea in usus pios impendant, possint compensatione uti, & tantumdem accipere de bonis Ecclesiasticis, atque de illis disponere sicut de Patrimonialibus & quasi Patrimonialibus.

Dico 2. Clerici portionis proventus Ecclesiasticorum necessarii congrue sustentationi videtur absolutè domini, sic ut de ea non secus, ac de Patrimonialibus & Quasi-Patrimonialibus pro libitu disponere possint. Est saltem sententia communior & probabilior. Henno dicit, esse omnium Theologorum; Lessius, esse sententiam ferè communem Theologorum, etsi multi Canonici dissentiant. Ratio est; quia haec portio est justum stipendium officii, quod Beneficium annexum habet; qui enim Altari deservit, jus habet, ut de Altari vivat, secundum Apostolum 1. Cor. 9. unde idem dicendum est, ac de quasi Patrimonialibus. Conf. Omnis operarius manualis, & quod proprius nos tangit, Cantor, v. gr. Organista, Sacrista, Laici, sunt absolutè domini portionis, quae ipsis tribuitur ex bonis Ecclesiasticis in stipendium sui officii, & de ea ad libitum disponere possunt; quidni & Clerici?

Dices cum Steyartio. Sacri Canones non distinguunt inter hanc partem redium Ecclesiasticorum & alias, sed volunt indiscriminè eas omnes vel sustentationi pauperum, vel alii causis piis impendi: ergo. R. Sacros Canones esse intelligendos de parte superflua, non verò de portione congrue sustentationi necessaria; quia haec cum sit debita ex justitia Sacris Ministris ratione officii, Ecclesia non debuit nec potuit magis de illa disponere in aliorum utilitatem, quam de portione Cantoris, Sacristae, Organistae, &c.

Inst. Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. de Ref. omnino interdicit, ne Ecclesiastici consanguineos ditare student ex redditibus Ecclesiasticis. Et S. Th. q. cit. a. cit. ad 2. dicit, quod *Si Clericus velit sibi subtrahere, & consanguineis vel aliis dare, non peccat, modo illud faciat moderatè, id est, ut non indigeat, non autem ut ditiores inde fiant: ergo.* R. Concilium non loqui de illis, quae sibi Clerici subtrahit de necessariis ad sustentationem, & labori personali correspondent (hac enim non tam censentur fructus Beneficii, quam propriae industriae & laboris) sed loquitur de illis, quae praecise titulo Beneficii obveniunt, & sustentationi redundant. Similiter S. Th. non loquitur de parte necessaria sustentationi, sed de tota portione deputata Clerico: dicit enim, *Si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, &c.* Veritas responsionis adhuc evidentius patet ex argumento, cui respondet S. Doctor, quod procedit expressis terminis de parte superflua, ut legenti patet.

His in antecessum expeditis, utpotè facillioribus, difficillior nunc superest quaestio de parte proventus Ecclesiasticorum, superflua congrue sustentationi. Equidem inter omnes convenit, Clericos non posse licite de ea disponere pro libitu, sicut de Patrimonialibus, aut Quasi-Patrimonialibus, aut parte necessaria; ut dixi; sed teneri saltem ex lege charitatis & ex praecipito Ecclesiastico illam impendere pauperibus, aut aliis usibus piis: utrum verò etiam teneantur ex justitia, sic ut obnoxii sint restitutioni, si in alios usus profanos expendant, valde controversatur. Eorum, qui partem affirmativam tuerentur, non unum est principium: quidam id affirmant, quod putent Clericos nullatenus habere dominium hujus partis superfluae; alii, quod, licet agnoscat verum dominium, velint illud esse vinculatum, sicut v. gr. dominium heredis in hereditatem, legatis, vel debitis gravatum. Hanc sententiam alterutro fundamentum mixtam, utro fatemur, esse probabilem, in praxi tutiorem & Clericis consulendam. Atta-

men cum probabiliori & nunc comminiori sententia.

Dico 3. Probabilis est, Clericos, saltem nunc post creata Beneficia, habere absolutum dominium partis proventus Ecclesiasticorum congrue sustentationi superfluae, sic ut de illa possint pro libitu valide disponere, licet illicite, ut dicam infra; nec teneantur ex justitia illam erogare pauperibus, aut in usus pios, adeoque nec sint obnoxii restitutioni, si in alios usus impendant. Ita Sylvester, Ostiensis, Barbatias, Adrianus, Dom. Soto, Baines, Lorcas, Valencia; Lopez; Covarruvias; Lessius; Sarmiento, Banas, Garcias, Wigers, Sylvius; Cabassutius; & plures alii: Unde fallitur Major, laudatus a P. Henno; dum dicit nullum ante se nostram sententiam tenuisse; ipsum enim praecessere Sylvester, Barbatias, & Adrianus; sed & maxime Doctor Angelicus, quem hujus sententiae assertorem evidentè demonstrare conabor.

Prob. Conclusio 1. ab auctoritate Canonum. Cap. *Consuetudinem*, de Clericis non residentibus l. 3. T. 3. in 6. Bonifacius VIII. cum statuisset, distributiones quotidianas esse tribuendas presentibus, subdit: *Quod aliter de distributionibus quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmus, seu justa & rationabilis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excuset) rerum sic perceptarum dominium non acquirat; nec faciat suas: imò ad omnium restitutionem, quae contra hujusmodi nostram consuetudinem receperit, teneatur.* Cui Canoni insistent Concilium Trid. sess. 22. c. 3. de Ref. statuit, ut, qui personaliter competens sibi servitium quolibet die staturo non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant: ergo a contrario sensu, qui officio satisfaciunt, harum distributionum acquirunt dominium, & faciunt suas, ne alioquin pares sint, qui servitium implent, & qui non implent. Neque refert, haec Jura loqui dumtaxat de distributionibus: est enim eadem ratio de aliis fructibus, cum distributiones sint, sicut caetera, fructus Beneficii. Insuper, non solum de distributionibus, sed etiam de omnibus fructibus loquuntur Jura eodem modo, sic cap. *Commisa de Election.* in 6. dicitur, quod suscipiens parroeciam sine animo accipiendi Sacerdotium infra annum, debeat restituere fructus parroeciae, quod eos non faciat suos. Pius V. Bulla 158. declarat, Beneficiatum non recipientem Officium non facere fructus suos. Conc. Trid. sess. 24. de Ref. c. 12. statuit, ne Canonicus, vel Beneficiatus, curam animarum, vel dignitatem habens, faciat fructus suos, si non emittat fidel professionem intra duos menses a die adeptae possessionis: ergo, ut ante, a contrario sensu satisfaciens officio suis faciat fructus suos, hoc est, verum habent illorum dominium.

Respondent quidam, haec Jura intelligenda esse de parte fructuum necessaria congrue sustentationi, non autem universim de omnibus. Sed contra 1. Jura indiscriminatim loquuntur de fructibus Beneficii: porro tam superflui, quam necessarii, imò magis superflui, quam necessarii, sunt fructus Beneficii: ubi verò Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus. 2. Sequeretur inde, quod Clerici non satisfaciens suis officiis privarentur tantum fructibus necessariis, superfluum autem retinerent saltem usum & administrationem, quod foret absurdum.

Respondent alii; Jura velle dumtaxat, quod Clerici implentes sua munera faciant fructus suos, & sint domini quoad fidem administrationem, non quoad proprietatem. Sed contra 1. Jura intelligentia non solum non est naturalis, sed est planè extorta atque aliena a mente Canonum, & maxime Trid. quod ubique loquuntur dumtaxat loquendi planum, proprium, & praecisum. Nunquam autem administrator dictus est, aut dici potest verè & proprie dominus, aut facere fructus suos: sic Praelatus regularis, licet sit administrator bonorum Monasterii, non dicitur tamen verè & proprie eorum dominus; aut fructus facere suos: sic Curator non dicitur dominus bonorum minorens, aut ea facere sua, quamvis sit illorum administrator. Unde Reverendissimus Steyartius, licet in multis hac in parte nobis contrarius in fine. Aphor. controv. 1. q. 3. n. 1. ingenue fateatur, *sibi non videri, quomodo salus reverentia erga S. Synodum Trid. aliter Theologus loqui possit, quam ut absolutè admittat Clericos habere tale dominium, id est, dominium proventus Beneficii.*

Cum ergo stet, juxta Canones Clericos esse verè & proprie dominos omnium fructuum suorum Beneficiorum; sequitur naturaliter, eos posse de illis valide pro libitu disponere absque onere restitutionis. Si opponas cum laudato Steyartio, tale eorum dominium esse vinculatum. R. nihil tale inveni auctoritatibus citatis, neque probari posse ulla alia auctoritate aut ratione sufficienti, ut patebit

ex solutionibus obj. Quinimò contrarium evinci ex probationibus sequentibus. Nisi forte dicas, vinculum afficere non res ipsas, sed personas, quatenus tenentur ex lege charitatis & Ecclesie præcepto illa bona impendere in usus pios: tale verò vinculum, quod agnoscimus, non officit verò & absoluto dominio, nec importat obligationem ex iustitia, aut onus restitutionis.

Prob. 2. Ratione. Clerici sunt in possessione omnium fructuum sui Beneficii, ut per se patet; & ex nullo capite probari potest, eos non habere absolutum illorum dominium, eosve teneri ad restitutionem, si malè impenderit: ergo censendi sunt absoluti illorum fructuum domini, neque teneri ad restitutionem, si illos malè impenderit. Conseq. patet ex hoc principio juris notissimo & receptissimo, maximè in materia iustitiæ, qualis est hæc: *In pari causa, seu in dubio potior est conditio possidentis.* Reg. 67. in 6. sic ut qui rem possidet, censetur ejus dominus, neque sit cogendus eam a se abdicare ex iustitia, nisi constet, esse alienam. Prob. Ant. Clericos non habere dominium fructuum Ecclesiæ, quos possident, eosque teneri ad restitutionem si malè impendant, probari non potest neque ex parte donantium, neque ex parte Ecclesie recipientis: ergo. Non ex parte donantium; quia fideles donantur hæc bona Ecclesie & Ecclesiasticis simpliciter & absolute, non verò sub conditione saltem expressa & in pactum deducta, erogandi superflua in usus pios. Quamvis enim id forte speraverint & intenderint, hanc tamen intentionem non dederunt in pactum tamquam conditionem sine qua non, quod foret necessarium, ut donatio censetur conditionata & non absoluta, non enim mens interior contrahentis afficit contractum, aut obligat ex iustitia alterum contrahentem, nisi sit expressa & in pactum deducta: v. gr. Caius legat Titio nepoti suo studente mille florenos, item Sempronio alteri nepoti patrifamilias mille aureos, intendens & sperans fore, ut & ille impendat mille florenos in studiis, & iste mille aureos in sublevatione familiarum: si tamen intentionem hanc non exprimat, nec ut conditionem apponat, Titius fit absolute dominus mille florenorum, & Sempronius mille aureorum, nec ad eorum restitutionem tenentur, si in alios usus expendant. Sic iterum das eleemosynam pauperi, intendens & sperans fore ut pro te oret; non orat pro te pauper, nihilominus fit absolute dominus eleemosynæ, nec tenetur eam restituere. Prob. itaque Ant. 1. Hæc conditio expressa & in pactum deducta nullibi legitur, vel ostendat adversarii. 2. Non est verisimile, fideles, maximè priorum sæculorum, qui tam reverentes erant erga suos Prælatos, hanc eis rigorosam obligationem imposuisse, præsertim cum non dubitarent, quin spontè essent facturi id, quod passim videbant, eos facere tanta sollicitudine & charitate. 3. Si talis fidelium donatio esset conditionata, sequeretur, quod Clerici, qui superflua non erogarent pauperibus, nullius partis suorum proventuum essent domini (quod negat major pars adversariorum) cum donatio sub conditione non purificata corrumpat: ergo. Non ex parte Ecclesie recipientis. Si Ecclesia censeret, aut vellet, Clericos stricto jure teneri ad restitutionem fructuum malè expensorum, id procul dubio clarè & expressis terminis alicubi declarasset; atqui id nullibi clarè & expressis terminis declaravit: ergo. Major videtur necessariò admitenda, cum res hæc sit maximi momenti, quippè quæ spectat conscientiam omnium Beneficiorum, ædificationem publicam, & sublevationem pauperum, & a pluribus in dubium revocetur, aut negetur. Et sanè, si declaravit Ecclesia clarè & expressè in rebus minoris momenti, v. gr. Clericum, qui non interest divino Officio, aut qui omittit Preces canonicas, aut qui abest a sua residentia, teneri ad restitutionem, quomodo in re majori & dubia taceret, suoque silentio tantam iniquitatem toleraret, præsertim cum nulla appareat tam perniciosi silentii ratio?

Prob. itaque Min. Nullum prorsus Canonem sive Conciliorum, sive Pontificum hæc usque proferre poterunt adversarii, qui hanc restitutionis obligationem clarè & expressè importat, aut significat: ergo nullibi id declarat Ecclesia; aut dicant, ubi.

Dicent forte, Ecclesiam virtualiter, ideòque sufficienter id declarasse, dum dixit Clericos non esse proventuum Ecclesiasticorum dominos, sed Procuratores, hos proventus esse erogandos pauperibus, esse patrimonia pauperum, bona Crucifixi, & similia. Sed contra; nego, his & similibus textibus importari virtualem, ideòque sufficientem difficultatis propositæ declarationem, siquidem hos & similes textus facile solvamus, & alio sensu rectè explicemus, saltem non apprehendunt hanc, quæ obtinetur

virtualem declarationem, quotquot sunt assertores nostræ sententiæ, & hi sunt numero & merito commentabiles. Hæc enim sententiæ, inquit Cabassutius, *hodie prævalet, usuque passim recipitur.* Insufficiens ergo foret hæc virtualis declaratio, sed necessaria foret formalis & expressa, ut requirit argumentum, si reverè Ecclesia sentiret cum adversariis.

Prob. 3. altera ratione. Juxta communem sententiam, quam admittit major & sanior pars adversariorum, Beneficium sunt absolute domini quorundam fructuum, scilicet eorum, qui suæ sustentationi sunt necessarij, de illis que pro libitu, saltem validè, disponere possunt: ergo & omnium. Prob. conseq. Beneficium redditus omnes suorum Beneficiorum indistinctè recipiunt, hos, aut illos in sui sustentationem applicare possunt, & consequenter de his, aut illis validè saltem pro libitu disponere: ergo ex parte fructuum non possunt dici aliquorum determinatè domini, & non aliorum; sed cum omnes indistinctè percipiunt, indistinctè eandem subeunt sortem quoad rationem domini; ergo omnium: ita ut obligatio, quam habent superfluos impendendi in usus pios, non sit realis, hoc est, ipsi rei annexa, sed personalis, hoc est, ipsi personæ imposita: quæ obligatio neque repugnat verò & absoluto dominio, neque impedit validam rerum dispositionem, neque onus restituendi inducit, ut patet in obligatione eleemosynæ. Conf. Clericus potest alios locare omnes fructus sui Beneficii, proindeque illorum in eos transferre dominium; atqui nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat, ut fert Reg. Juris 79. in 6. ergo.

EXPENDITUR MENS D. THOMÆ

In Probationem Conclusionis.

ADversariorum quidam, teste Perfectore operum Tournelli ingenue agnoscunt S. Thomam sibi contrarium: alii verò nihil non tentant, ut eum in suas partes etiam vel invitum contrahant. Imò quidam (quod non semel miratus sum) eò pervenerunt, ut asserant S. Doctorem ipsorum sententiam formalissimè & constantissimè ad mortem tenuisse: ita Pontas, & P. Henno. Rem conficiet, & ipsis lipporum oculis propalabit simplex expositio textus D. Thomæ.

S. Doctor quodlib. 6. q. 7. a. 12. ubi discutit, an Clerici teneantur sub mortali dare eleemosynam de superfluis, cum in corp. dixisset generatim de bonis Ecclesiasticis ut sic, Clericos non esse dominos, sed dispensatores, & resolvisset, eos posse dupliciter peccare in eorum bonum administratione; uno modo ex rei ipsius conditione, dum scilicet usurpant sibi tamquam rem propriam, quod est alterius: alio modo ex inordinato usu eorum, quæ in suam partem cadunt, sicut de aliis, id est, de patrimonialibus dixerat initio corporis, (quod jam aperte asserit nostram sententiam) proponit sibi argumentum ordine tertium his verbis: *(Quodlib. 6. q. 7. a. 12. ad 3.)* *Quicumque consumit, quod est alterius, tenetur ad restitutionem: sed bona Clericorum sunt pauperum, ut patet per Glossam Hieronymi supra illud Isaia 2. Rapina pauperum in domo vestra: ergo, si Clerici inutiliter bona Ecclesiastica consumunt, tenentur restituere pauperibus, alinadè si habuerint.* En ipsissimum adversariorum argumentum. Audiamus Responsum S. Doctoris. *Ad 3. inquit, dicendum, quod bona Ecclesiastica, non solum sunt dispensanda pauperibus, sed etiamque Ecclesie Ministris: unde secundum Canones debent evitari hoc modo, ut aliqua pars cedat in usus pauperum, & aliqua pars in usus Ministrorum, & in cultum Ecclesie. Aliud ergo dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt attributa necessitatibus pauperum & ex consequenti necessitatibus Ministrorum, sicut sunt bona Hospitalium, & aliorum hujusmodi. Et aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa viribus Ministrorum, sicut sunt præbende Clericorum, & alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur, non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius; & idè tenetur ad restitutionem tamquam defraudator rei aliena. In secundis verò bonis non committitur peccatum nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad penitentiam peragendam.*

Eandem sententiam, & plerumque eundem loquendi modum constanter tenet S. Doctor in Summa q. 185, jam sæpè cit. a. 7. o. ubi quærit, utrum Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur. Quidquid autem resolvit de Episcopis in hæc par-

parte, idem dicendum de aliis Beneficiis. Igitur, cum præmissis Episcopos bonorum propriorum habere absolutum dominum, & vi talis domini posse pro libitu validè de illis disponere, nec teneri ad restitutionem, si malè impendant, quippè quod non peccent ex rerum conditione, sed propter inordinationem affectus; bonorum verò Ecclesiasticorum generatim scilicet & indistinctè non esse dominos, sed administratores & procuratores tantum, quia inter bona Ecclesiastica, præter bona Episcopi, numerantur etiam bona aliorum Clericorum, Fabricæ, & pauperum, quorum Episcopi non sunt Domini, sed administratores tantum: His, inquam, præmissis, subdit S. D., *Si ergo distincta sint bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesie eroganda, & si aliquid sibi retineat Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum Ministrorum, aut in cultum divinum expendenda; non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur.* De his autem (N. B.), quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de bonis propriis: ut scilicet propter immoderatam affectum & usum peccet quidem, si immoderatè sibi retineat, & aliis non subveniat: sicut requirit debitum charitatis. *Hic deesse hanc clausulam errore Typographi vel Amanuensis, Non tamen tenetur ad restitutionem, notat Sylvius post Dom. Soto & editionem Duacensem; & bene, alias erit imperfecta sententia, nec ulla erit, quam tamen intendit S. Doctor, distinctio inter bona deputata usui Episcopi & non deputata; sed utrobique erit peccatum & obligatio restituendi.*

Verum, etsi hanc clausulam non expresserit S. Th. plusquam sufficienter eam indicasse, & certò esse de ejus mente, evidentè probant momenta sequentia. 1. Disparitas, de qua modo, quam intendit S. Doctor inter utraque bona, ut patet ex textu, quæ alioquin non subsistet. 2. Quod dicit, eandem esse rationem de bonis deputatis usui Episcopi, quæ est de propriis bonis. Hanc porro paritatem indubie intelligit S. Th. non quidem quantum ad omnia generatim: (certum est enim, bona Ecclesiastica esse magis obstricta pauperibus & usibus piis, quam patrimonialia, id quæ aperte significat S. D. ad 2. ubi dicit illa non posse impendi ad ditandos parentes; quod tamen licet de bonis patrum.) Sed hanc, inquam, paritatem intelligit quantum ad ea omnia, quæ prius tribuerat bonis patrimonialibus: hujus enim propositionis, videtur esse eadem ratio, quæ est de bonis propriis, sensus naturalis & planus est: *videtur dicendum, quod dixi de bonis propriis: dixit autem de bonis propriis, Episcopos habere verum illorum dominium; & inde non obligati ex ipsa rerum conditione ea aliis conferre, sed posse pro libitu de eis validè disponere: quamvis quandoquæ illicite propter inordinationem affectus, vel plusquam oporteat sibi retinendo, vel minus quam exigit charitas pauperibus largiendo; quo tamen casu eos non teneri ad restitutionem, quia hujus modis res sunt eorum dominio deputata: ergo idem per omnia censet & dicitur de bonis deputatis usui Episcopi: nisi velis ipsum & falsitatis & oscitantis arguere.* Et per hæc præcluduntur omnes evasiones adversariorum.

Respondet 1. Steyartius, S. Thomam studio omisisse hanc clausulam, & tamen non tenetur ad restitutionem, eo quod non fuerit tunc illi eadem sententia, saltem ita explorata ut in Quodlibetis. Sed contra, probavimus, omissionem hujus clausulæ potius esse tribuendam Typographo, aut Amanuensi, quam S. Doctori: cum aliis sensu imperfecto loquutus fuisset, & non subsisteret distinctio, quam inter bona usui Episcopi deputata & non deputata astruere intendit; quæ etiam ratione diximus, etsi eam non expresserit, sufficienter tamen indicari: similiter ex eo quod dixerit, eandem esse rationem de his bonis ac de propriis, quod foret falsum, si obligationem restituendi non excluderet. Insuper, si non fuit illi in Summa eadem sententia, quæ in Quodlibetis, cur apertè eam non retractavit, quin potius eam variis modis astruxit, ut patet ex dictis? Dicit, saltem non fuisse illi satis exploratam. Urgeat, ut ante imprudentè ergo distinctio inter bona deputata Episcopo, & non deputata, cum utrobique par esset ratio; imprudentè dixit, esse eandem rationem de primis, ac de bonis propriis, quod est aperte asserere sententiam, quam dicit non fuisse illi satis exploratam. Item, si S. Doctor hanc difficultatem satis exploratam non habuit, falsum est ergo, quod tam altè efferunt adversarii, nimirum suam sententiam aperte esse definitam & traditam in Canonibus Conciliorum, Pontificum, & SS. Patrum, hanc enim tam apertam definitionem & traditionem mi-

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

nis exploratam non habuisset Doctor oculatissimus, & Canonum studiosissimus. Undè recurrit fundamentalis nostra ratio, scilicet; in dubio, seu pari causa potior esse conditionem possidentis: & idè cogendos non esse Clericos ex iustitia a se abdicare rem, quam possident.

Ex quibus patet, quam infundatè Steyartius concludat, S. Thomam hæc duo bonorum genera, scilicet propria & deputata usui Episcopi, in eo solum comparare, quod propter immoderatam affectum & usum peccet quidem Episcopus, si immoderatè sibi retineat & aliis non subveniat: ut enim hæc vera essent & comparatio non importaret verum dominium & exclusionem obligationis restituendi ut in bonis propriis, non debuisset S. Doctor hæc bona usui Episcopi deputata a non deputatis distinguere, sed illa potius cum istis comparare, cum eadem foret utrorumque conditio. Item non debuisset addere, esse dicendum absolute de his bonis deputatis, quod dixerat de bonis propriis. Sed demum gratias & ad instans, comparationem D. Thomæ id solum literaliter importare, quod intendit adversarius, nihil idcirco obtinet; sic enim ex ipso contra ipsum arguo: S. Thomas secundum te in eo comparat bona propria Episcopi cum bonis Ecclesiasticis ejus usui deputatis, quod eodem modo in utrisque peccet Episcopus propter inordinatum affectum, & usum; atqui in bonis propriis sic peccat per immoderatam affectum, ut non peccet ex rerum conditione: ergo similiter in bonis suo usui deputatis. Subsumo: atqui, qui peccat in usu bonorum propter immoderatam affectum tantum, & non ex rerum conditione, non peccat contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem; ergo. Vide D. Th. initio corp.

Inst. ex eodem. Hæc D. Thomæ verba: *De his autem, quæ sunt specialiter usui Episcopi deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis*, in quibus ficimus vim, nimis probant, adeòque nihil; probant enim, bona Ecclesiastica posse impendi in profanos usus æquè licite, ac propria; quod tamen negat S. Th. ad 2. & non cum ipso: ergo. Responsio patet ex jam dictis. Non enim dicimus S. Th. facere paritatem inter hæc duo bonorum genera quoad omnia, sed quoad ea omnia dumtaxat, quæ prius dixerat de bonis propriis. Ità ut sensus laudatorum verborum sit: Videtur dicendum de istis bonis usui Episcopi deputatis, quod prius dixi de propriis. Vide supra.

Necdum sisti Reverendissimus Steyartius, sed ulterius pergit; neque jam nobis D. Th. cæspitatem exhibet, sed oppositam sententiam insinuans; quatenus in Resp. ad 2. relinquit insolutum argumentum, quod sibi objeerat de obligatione restituendi. Verum eandem semper chorda aberrat eximus Doctor, nec S. Doctoris mentem attingit. Objecerat sibi S. Thomas ex D. Hieron. bona Ecclesiastica esse pauperum: ex quo inferbat, eos, qui illa conferunt aliis, quam pauperibus, mortaliter peccare, & teneri ad restitutionem. Hoc totum sanè debuisset concedere S. Doctor, si cum adversariis censuisset; est enim ipsa eorum ratio: sed toto oculo distat. Negat Ant. & dicit, bona Ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam in alios pios usus esse expendenda. Ex quo inferit, non peccare Clericos, qui ista bona non largiuntur pauperibus, si in alios pios usus impendant, ut si dent moderatè consanguineis, non quidem quia de facto indigent, sed præcisè ut non indigent. Porro, si non peccent, a fortiori non tenentur ad restitutionem. Neque opus erat id exprimi, cum sit apertius. Utrum verò, si opus erat similes alios pios usus expendant, sed in profanos, etiam non teneantur restituere, non resolvit S. Th. quia argumentum, cui respondet, id non exigitur cum de istis aliis piis usibus non procederet, sed de pauperibus dumtaxat. His satis fusè expeditis contra Reverendissimum Steyartium, qui nobis visus est præ cæteris subtilissimè exagitasse Textum S. Thomæ, ad alias aliorum villigationes descendimus. Igitur.

Respondet P. Henno, S. Doctorem manifestè loqui de portione congruè sustentationi necessaria, non de superflua. Et ego dico, hanc evasionem manifestè repugnare Textui S. Thomæ. Loquitur enim S. Doctor, ut legenti patet, de integra portione specialiter usui Episcopi deputata, & prout est distincta ab aliis portionibus pauperum, fabricæ, & aliorum Clericorum. Et insuper, si Clerici sint domini alicujus partis, sunt totius, ut probavimus supra.

Perficit nihilominus confidenter laudatus Auctor his verbis: *Quod autem D. Th. non adversariis, sed nobis formalissimè favoreat, patet ex quodlib. 6. ubi dicit: bonorum Ecclesiasticorum Clerici non sunt veri domini, sed dispensatores.* Pace viri Religiosi dixerim: non legit S. Th. loco cit. alias vidisset ibidem, ipsum formalissimè asserere Clericum